

# The Electronic Manipulus florum

## www.manipulusflorum.com

### Spiritus sanctus s cum fonte primo

Spiritus Ihesu, spiritus bonus, Spiritus  
sanctus, spiritus rectus, spiritus dulcis,  
spiritus fortis, infirma roborans, ←  
aspera planans, corda purificans.  
Quicquid in hoc seculo nequam uidetur,  
difficile et angustum leue facit et latum;  
obprobrium gaudium iudicat,  
despectionem exaltationem esse  
persuadet.

Bernardus sermone LXXIII.

Spiritus enim Iesu, spiritus bonus, spiritus  
sanctus, spiritus rectus, spiritus dulcis,  
spiritus principalis,  
quidquid in hoc saeculo nequam videtur,  
difficile et angustum, leve facit et latum:  
opprobrium gaudium iudicat,  
despectionem exaltationem esse  
persuadet.

Bernardus Claraeuallensis, *Sermones in ascensione Domini*, 3, 9 (SBO 5, J. Leclercq, C.H. Talbot, H.M. Rochais eds., p.137, ll.2-5).



Cui nos gratiae pro nostrae exiguitatis modulo praeparantes, exinanire per omnia nosmetipsos, et a delectationibus miseris, et caducis consolationibus evacuare studeamus, dilectissimi, corda nostra, maximeque instantे nunc die festo, et ferventius, et fiducialius unanimiter perseveremus in oratione, ut sua nos visitatione, sua consolatione et confirmatione dignetur Spiritus ille benignus, spiritus dulcis,  
spiritus fortis, infirma roborans,  
aspera planans, corda purificans,  
qui cum Patre et Filio id ipsum, sed non is ipse est, ut tres unum et unum esse tres verissime prorsus et fidelissime catholica Ecclesia fateatur, a Patre adoptata, a Filio desponsata, a Spiritu confirmata, quibus ut una substantia, sic et eadem nihilominus gloria in saecula saeculorum.

Bernardus Claraeuallensis, *Sermones in ascensione Domini*, 6, 15 (SBO 5, J. Leclercq, C.H. Talbot, H.M. Rochais eds., pp.159-60, ll.20-28, 1-2).